

solvi debent. Glossa, in cit. can. *Revertimini*. *ŷ. Annus*; Sanctus Thomas, 2. 2. q. 87. a. 2. in corpore; Pirhing, h. t. n. 13. et alii, textu expresso c. *Ex parte*. 21. h. t. et ibi Glossa, *ŷ. Unius*. Idem dic de aliis terræ fructibus, fructibus animalium, etc. Ratio est, quia ob quam causam decimæ debentur ex uno semine, debentur etiam ex alio, prout loc. cit. bene observat Glossa.

35. *Decimæ personales commode simul solvantur ad finem anni.* — Resp. III. Decimæ personales omnes simul commode ac competenter solvantur sub finem anni, sicut alii census, et tributa pendi solent. Abbas, in c. *Pervenit*. 5. n. 3. h. t.; Glossa, in can. *Revertimini*. 65. vers. *Annus*. cau. 16. q. 1; Layman, loc. cit.; Pirhing, loc. cit. et alii. Ratio est, quia, si de cujusvis laboris, negotii, vel industriæ fructu, vel lucro statim dari deberent decimæ, nimis incommodum foret, non tantum ipsi datori, sed etiam acceptatori decimarum; cum « particularis solutio multa incommoda afferre soleat. » l. *Plane*. 3. ff. *Famil. herciscund.* Verum quia de hoc nihil certi scriptum habetur in jure, ad locorum consuetudinem in hoc passu multum erit attendendum; Nam « de quibus causis, scriptis legibus nihil utimur, id custodiri oportet, quod moribus et consuetudine introductum est: » dicit Ulpianus, l. *De quibus* 32. ff. *de Legibus*.

36. *Decimæ expensis parochianorum ad domum parochi sunt vehendæ.* — Quæritur IV. Ubi nam, seu in quo loco solvendæ sint decimæ? Resp. Spectato jure communi tenentur parochiani propriis sumptibus decimas prædiales in horreum, vel domum parochi deferre, maxime quando publicum et commune aliquod horreum pro decimis extat, illucque absque magnis sumptibus decima deferri queant. Abbas, in c. *Pervenit*. 5. h. t. n. 3; Covarruvias, lib. I. *Variar. resolut.* cap. xvii. n. 8; Gonzalez, in c. vii. h. t. n. 6; Gutierrez, lib. II. *Canon.* qq. cap. xii. n. 23; cum communi aliorum, et Glossa, in can. *Revertimini*. 65. cau. 16. q. 1. *ŷ. In horrea*, contra Barbosam, de *Offic. et potest. paroch.* cap. xxviii. § 2. n. 24; Layman, lib. IV. tract. VI. cap. v. n. 2; Pirhing, h. t. n. 94. et alios, arg. cit. can. *Revertimini*. ibi: « Commoneo, ut inferatis decimas in horrea, » et ibi Glossa, *ŷ. In horreum*. Ratio est, quia christiani non minus tenentur præstare decimas in signum universalis domini Dei, quam quivis subditus tenetur tributa sua et

census solvere terreno Domino in signum domini ejusdem arg. c. *Tua*. 26. h. t. atqui terreni subditi tenentur census et tributa in signum Domini debita, propriis sumptibus deferre ad domum Domini, a<sup>o</sup> q. l. *Pro locis*. 6. ff. *de Ann. et tribut.* docetque experientia: ergo.

37. *Nisi aliud habeat consuetudo.* — Dicitur autem notanter, « Spectato jure communi: » quia consuetudine jam passim, præsertim in Germania, teste Canisio, de *Decimis*. c. vii. introductum habetur, quod parochi, aliique decimatores ipsi decimas fructuum in agro relictas, sicut et alias decimas prædiales colligere, et propriis expensis in domum deferre debeant, exceptis decimis de fructibus animalium, ovis, etc. quorum decimas plerumque, ipsi rustici ad domum parochi ferunt. Verum quia non eadem ubique consuetudo habetur, ubique qualis vigeat, attendendum erit, prout citati doctores etiam adversarii fatentur.

38. *Parochianus non potest colligere fructus, nisi prius parochum moneat ratione decimarum; nisi consuetudo sit in contrarium.* — Illud etiam cum Abbate, in c. *Ex parte*. 21. n. 6. h. t.; Covarruvia, loc. cit.; Gutierrez, loc. cit. n. 49; Pirhing, h. t. n. 94. et communi aliorum notandum, quod non possint Parochiani frumentum, aliosque fructus colligere, et in propria horrea condere, nisi prius parochos certiores faciant, ut ipsi vel eorum deputati collectioni et decimationi fructuum præsentis assistere queant; et hoc ne aliqua fraus, deceptio, vel defraudatio a laicis fiat, arg. l. *Si suspecta*. 29. ff. *de Inoffic. testam.* Quamvis etiam in hoc consuetudo contraria valeat, et attendenda sit, uti citati fatentur doctores patetque experientia, qua videmus quod tempore messis publicæ parochis nullatenus monitis, fructus libere colligantur, et decimæ vel relinquuntur in agro, vel etiam una cum aliis fructibus in horream deferantur, indeque primum parochi reddantur.

39. *Nolenti dare decimas parochus non potest vim inferre, nec vi exigere, nec sacramenta negare.* — Quæritur V. An in casu, quo parochianus injuste recusat dare decimas, vel eas non integre, vel non debito loco, tempore, vel modo solvit, possit eum parochus per vim compellere, aut vi eripere, et extorquere decimas; vel saltem propterea negare sacramenta, et alia divina? Resp. negative. Navarrus, lib. III. *Consil. de Decimis*, consil. 2; Layman, lib. IV. tr. VI. cap. v. n. 3; Rebuf-

fus, q. 9. in fine; Pirhing, h. t. n. 96. quod vim facere non possint. Ratio est, quia parochus non habet jurisdictionem fori externi in suos parochianos: dein etsi haberet, non posset in hoc vim inferre: quia nemo potest esse iudex in propria causa, etsi alias iudex sit, l. *Qui jurisdictioni*. 10. ff. *de Jurisdiction.* Nec ulli licet creditori vi et auctoritate propria occupare debitoris bona, eumque usu illorum privare, ut debitum suum recuperet, l. *Extat.* ff. *Quod metus*, caus. et l. *Si quis.* c. *Unde vi*, et c. *In litteris*. 5. c. Item 6. c. *Conquerente*. 7. *de Restitut. spoliat.* Quod autem sacramenta subtrahere nequeat, patet; quia non nisi publice indignis, et manifestis peccatoribus sacramenta negare potest; qualis esse non præsumitur defraudans decimas, utpote qui forsitan jus aliquod, vel justam excusationem prætereendere potest, vel habere se credit. Quare in tali casu, causam ad episcopum deferat, oportet, qui ea discussa parochianum compellere potest ac debet etiam per excommunicationem, si post trinam monitionem non satisfaciatur, juxta dicta supra n. 22, per jura ibidem citata.

## § III.

## DE PERSONIS, QUÆ TENENTUR AD SOLVENDAS DECIMAS.

40. *Ad decimas solvendas quivis fidelis tenetur nisi sit specialiter exemptus.* — Quæritur I. Quinam obligentur solvere decimas? Resp. I. Omnis fidelis baptizatus, per se, et ex debito personali debetur solvere decimas, nisi justo aliquo titulo, aut jure ipso specialiter sit exemptus. Unanimis et certa, ob clara jura c. *Ex transmissa* 23. h. t. ubi dicitur, quod « quivis fidelis homo decimas erogare tenetur, » et c. *A nobis*. 24. eod. ibi: « Quilibet decimas solvere tenetur, nisi, a præstatione ipsarum specialiter sit exemptus, » vel ut infra dicitur, « nisi ostendat, quare sit immunis. » Ratio est, tum quia quivis baptizatus subjectus est aliqui parochi, vel proprio sacerdoti, a quo recipit divina: consequenter quivis ad reddendam eidem mercedem tenetur per textus et jura supra n. 8. citata; tum quia decimæ juxta dicta n. 13. in signum universalis domini debentur jure divino, c. *Tua nobis*. 29. Hinc bene inferunt Barbosa, de *Offic. et potest. paroch.* cap. xxviii. § 3. n. 1; Moneta, de *Decimis*. cap. v. n. 26; Gonzalez, in c. iv. h. t. n. 7, cum communi

aliorum, et cum Glossa, in c. *Omnes principes*. 4. *de Majorit. et obedient.* teneri ad decimas etiam imperatorem, reges, principes, et quosvis alios in quacunque dignitate constitutos; eo quod jus de omnibus indistincte loquatur, et ratio juris omnes tangat.

41. *Etiam hæretici.* — Resp. II. Etiam hæretici ex debito personali tenentur solvere decimas. Abbas, in c. *De terris*. 16. h. t. n. 6; Pirhing, eod. n. 36; Zoesius, eod. n. 16; Suarez, t. I. *de Religios.* tract. II. lib. I. c. xvi. n. 3. Ratio est, quia et ipsi juri divino et ecclesiastico, quo utroque decimæ obligant, sunt subjecti: præsertim quia per baptismum facti sunt christiani, et subditi legibus Ecclesiæ, a cujus jurisdictione per suam contumaciam non eximuntur, ne alias ex iniquitate sua commodum reportent, contra l. *Iaque*. 12. ff. *de Furtis*. Nec refert, quod a ministris catholicis non recipiant divina; quia hoc per accidens, et ex propria ipsorum culpa venit; cum Ministri ex parte sua ad ea præbenda essent parati et ex officio obligati; ipsique hæretici ad eadem suscipienda, secumque erroneam derelinquendam teneantur. Accedit, quod decimæ obligent de jure divino juxta dicta n. 13. ad quod utique etiam hæretici tenentur.

42. *Ac Judæi et infideles.* — Resp. III. Etiam judæi, et infideles decimas dare tenentur prædiales ex fundis et prædiis, quæ antequam ad eos pervenerunt, decimas erant obnoxia. Abbas, in c. *de Terris*. 16. h. t.; Barbosa, loc. cit. n. 4; Moneta, de *Decimis*. cap. v. a n. 36. textu claro, c. *Quanto*. 18. ad finem, de *Usur.* ubi statuitur expresse, quod « Judæi compellendi sint ad dandas decimas de domibus et possessionibus aliis, de quibus, antequam ad Judæos quocumque titulo pervenissent, christiani decimas dare consueverant. » Ratio subjungitur; ut « sic Ecclesiæ conserventur indemnes. » Idem statutum habetur c. *De terris*. 16. h. t. ob eandem rationem, videlicet, « nec alias ecclesiæ valeant suo jure fraudari. » Dicitur autem notanter, « Jure saltem reali; » quia decimæ sunt onus reale ipsis prædiis et fundis annexum, consequenter cum re transeant ad quemvis, etsi alias jure personali ad decimas obligatus non esset, uti Abbas loc. cit. bene observat; eo quod onus reale transeat ad quemvis possessorem, c. *Ex litteris*. 16. h. t. ubi pontifex alternative sic mandat, ut eos (Judæos) « ad decimas persolvendas, vel possessiones penitus renuntiandas cum omni

districtione compellas. » Idem est de hæreticis.

43. *Etiam jure personali.* — Num autem jure quoque personali de fundis et prædiis quibuscunque etiam illis, qui nunquam in christianorum manibus fuere, Judæi teneantur dare decimas, major est controversia inter doctores. Negant Barbosa, in cit. c. *De terris*. h. t.; Rebuffus, de *Decimis*. q. 5. n. 11; Pirhing, eod. n. 38, arg. cit. c. *De terris* h. t. et c. *Quanto de usur*. Rationem dant, quia nempe non sunt subditi Ecclesiæ: et cessat legis ratio, ob quam alias decimæ debentur. Abbas, e contra loc. cit. n. 5; Oldr., *Cons. consil.* 25, et alii affirmant: quorum sententiam, ut probabilior, amplectimur. Ratio est, quia decimæ obligant ex jure divino, solvique debent in signum universalis domini juxta dicta supra n. 1. arg. c. xxv. et xxvi. h. t. « easque in signum universalis domini quasi quodam speciali titulo sibi Dominus reservavit, » uti dicitur c. *Cum non*. 33. eod. atqui ad hoc non minus tenentur Judæi, quam christiani: ergo. Unde licet non teneantur ad decimas ex una ratione legis divinæ vel humanæ v. g. non ratione obedientiæ ad ecclesiam, nec ratione damni eidem illati, nec ratione laboris spiritualis ministrorum, cui mercedem deberent; tenentur tamen ex jure divino et universali ratione ejusdem legis divinæ de dandis decimis, videlicet, ut iis contestemur universale dominium Dei super nos, ab eoque cuncta bona provenire fateamur: non enim propter unam vel alteram solam rationem debentur decimæ, uti supponere videntur adversarii, sed propter plures alias, inter quas præcipua est, ut iis contestemur supremum et universale Dei dominium; cit. c. xxvi, et c. xxxiii. h. t. quæ ratio certe Judæos æque, ac christianos, tangit.

44. *Convertentes se infideles compelli possunt ad solvendas decimas neglectas.* — Infert proin Abbas loc. cit. quod si aliqua provincia, quæ nunquam fuit christiana, converteretur ad fidem, ibique aliqui adhuc infideles in suis possessionibus manerent, possent omnino compelli ad decimas solvendas: quod idem a fortiori dic de hæreticis. Imo ulterius addit, quod compelli quoque possent omnes etiam noviter conversi ad solutionem decimarum præteritarum, ab eis hactenus neglectarum, arg. l. *Imperatores*. ff. de *Publicanis*. et l. *Comperit*. c. de *Præscript. triginta vel quadraginta annorum*. Quamvis ecclesia soleat,

et ex condecanti debeat cum noviter conversis infidelibus et hæreticis clementius agere, eisque præteritas decimas remittere, uti idem notat Abbas.

45. *Clerici simplices non curati tenentur ad decimas bonorum patrimonialium, eo modo quo laici.* — Quæritur II. Et quidem specialiter, an etiam clerici sæculares teneantur ad decimas? Ante responsonem ex dictis suppono, bona clericorum alia esse ecclesiastica, alia patrimonialia, vel quasi talia: item clericos alios esse simplices, alios curatos de singulis pro majori claritate singulas dabimus conclusiones; et quidem imprimis de bonis patrimonialibus. Resp. I. Clerici simplices seu non curati eodem modo, quo laici tenentur dare decimas de lucris, bonis, et fructibus titulo temporali, puta, hæreditate, patrimonio, donatione, emptione etc. acquisitis. Barbosa, de *Offic. et potest. paroch.* c. xxviii. § 3. n. 6. et seqq.; Gutierrez, lib. II, can. qq. c. xxi. n. 26; Covarruvias, lib. I. *Variar. resolut.* cap. xvii. §. *Primum hinc constat*. divus Thomas, 2. 2. qu. 87. a. 4. Glossa, in c. ii. h. t. §. *A Clericis*. cum communi aliorum, arg. can. *Si quis*. 42. et can. 44. can. 16. qu. 1. juncto c. ii. h. t. ibi: « Illi perfecto clerici, qui a clericis spiritualium ministeriorum labores accipiunt, decimas eis debent. » Ratio est, quia quoad hæc bona, in puncto decimarum, considerantur ut cæteri fideles, qui sine distinctione ad decimas obligantur, c. xxiii et xxiv. h. t. Unde eadem rationes quoque, ob quas laici obligantur, ipsi quoque tenentur dare decimas.

46. *Ac etiam curati de bonis patrimonialibus.* — Resp. II. Clerici curati quoque in quacunque dignitate constituti, ut episcopi, decani, ac parochi tenentur ad decimas prædiales de fructibus bonorum, titulo sæculari seu temporali acquiritorum. Barbosa, loc. cit. n. 10; Pirhing, h. t. n. 40; Konig. eod. n. 7; Covarruvias, lib. I. *Variar. resolut.* cap. xvii. n. 8; sanctus Thomas, 2. 2. q. 87. et communis aliorum. Ratio est, quæ prior. Cui accedit, quod « res transeat cum onere suo, » c. *Cum non*. 33. h. t. et c. *Ex litteris*. 5. de *Pignor.* consequenter si clerici etiam curati, sive episcopi, sive parochi titulo temporali acquirunt prædium aliquod, agrum, vel aliam rem oneri decimarum prius subjectam onus hoc cum re ad ipsos quoque transit, can. *Si quis*. 42. et duobus seqq. cau. 16. q. 1. Item quod decimæ prædiales jure divino debeantur « in signum universalis domini

Del. » cit. c. *Tua nobis*. 26. et c. *Cum non*. 33. h. t. ad quod etiam specificati in conclusione non minus quam alii tenentur: et quidem jure personali quoque.

47. *Et quidem obligatione personali.* — Nec enim placet in hoc opinio Pirhing, h. t. n. 40; Layman, lib. IV. tract. VI. cap. iii. n. 1. et aliorum dicentium episcopos, et parochos solo jure reali, non item personali obligari posse ad dandas decimas, quia, dicunt, nullus est qui ab eis decimas exigere posset, et cui eas illi dare deberent; cum ex debito personali nemo ab aliquo exigere possit decimas, nisi ordinarius pastor, a quo quis recipit sacramenta, et divina, qualis pastor in eadem parochia præter parochum nullus alius datur. Episcopus autem parochi subjectus non sit, consequenter ei decimas dare non teneatur.

48. *Solvitur objectio, et ostenditur quomodo sibi ipsi det decimas parochus.* — Nam contra est, quod fideles ad decimas non solum ob receptionem sacramentorum, ac aliorum divinorum, sed etiam et quidem principaliter « in signum universalis domini » teneantur, c. xxvi. et c. xxxiii. h. t. consequenter dari possit obligatio etiam personalis dandi alicui decimas, a quo divina non percipiunt. Licet enim ordinarie loquendo decimæ non nisi ordinario pastori debeantur, tamen etiam aliis jus decimas accipiendi competere potest juxta dicenda infra n. 5. 6. etc. Quibus proin decimas dare etiam parochus teneretur. Deinde etsi nullus alius præter parochum haberet jus decimandi, deberet is nihilominus de præfatis bonis sibi ipsi dare decimas applicandas fabricæ Ecclesiæ, vel pauperibus, quorum tributa sunt decimæ, arg. can. *Decimæ tributa sunt*. 66. cau. 16. q. 1. et c. *Tua nobis*. 26. h. t. et quibus decimæ, honestæ sustentationi clericorum superflua, jure divino distribui debent. Dices, nemo potest esse sibi ipsi obligatus, l. *Tutor*. ff. ad *S. C. Velleian.* ergo nec parochus sibi ipsi decimas dare tenebitur. Resp. distinguendo ant. sub eadem ratione conceditur: sub diversa negatur ant. et ita distincto consequenti conceditur, et negatur consequentia: quia parochus tanquam persona privata sibi ipsi tanquam rectori Ecclesiæ, ac fideli dispensatori bonorum ecclesiasticorum reddit decimas applicandas quoad superfluum vel in pauperes, vel Ecclesiæ fabricam; uti bene post Innocentium observat Abbas, in c. ii. h. t. n. 4. arg. l. *Quoties*. q. ff. de *Admi-*

*nist. et periculo tutor.* ubi etiam tutor tanquam debitor solvit sibi ipsi tanquam tutori.

49. *Clerici ex redditibus beneficii non dant decimas.* — Resp. III. De bonis ecclesiasticis, titulo Beneficii, aut alio clericali acquisitis, clerici non curati seu simplices non tenentur ad decimas, exceptis prædiis, agris, et aliis fundis, ex quibus antequam in dotem beneficii assignata fuerunt, decimæ fuerunt solutæ. Prima pars conclusionis est communissima, et vix non unanimes inter doctores, uti videre est apud Barbosam, in c. ii. h. t. *Abbatem*, ibid. n. 4. et seqq.; Rebuffus, de *Decimis*. q. 5. et 6; Bellet, *Disquisit. cler.* p. 1. § 12. n. 36; Pirhing, h. t. n. 41. et alios, cum quibus etiam sentit Glossa, in cit. c. ii. h. t. vers. *Clericis*, arg. c. ii. h. t. ibi: « Novum genus exactionis est, ut clerici a clericis decimas exigant; cum nusquam in lege domini hoc legamus; non enim levitæ a levitis decimas accepisse leguntur. » Qui textus licet varias habeat interpretationes, receptor tamen est Glossæ, ibid. loc. cit. videlicet, quod clerici clericis dare non debeant de bonis ecclesiasticis, bene tamen de patrimonialibus vel quasi talibus, uti supra jam dictum. Ratio præter allegatam in textu est; quia redditus beneficiales instar decimarum sunt; cum etiam ob officium divinum, et alia ministeria spiritualia reddantur, suntque pluribus clericis simplicibus, ut canonicis decimæ formales pro redditibus assignatæ. Ex decimis autem decimas non dari, manifestum est.

50. *Nisi Ecclesia habeat agros, aut fundos, ex quibus decimæ prius solvebantur.* — Dicitur autem notanter in conclusione, « Exceptis prædiis, agris, et aliis fundis, ex quibus antequam in dotem beneficii assignati fuere decimæ solvebantur; » quia de his clerici simplices parochi loci, in quo prædia hujusmodi sita sunt, decimas dare omnino tenentur, sive dein in propria, sive aliena parochia existant; etiamsi in dotem beneficii sint assignati, consequenter bona ecclesiastica existunt. Fagnanus, in c. *Nuper*. 34. n. 10. h. t.; Abbas, ibid. n. 1; cardinal. de Luca, de *Decimis*. discurs. 2. n. 5, et 6; Barbosa, in can. *Ecclesiæ*. 43. cau. 16. q. 1. et alii contra Pirhing, h. t. n. 42. absolute et indistincte docentem, clericos simplices ad nullas teneri decimas de prædiis sitis intra parochiam, in qua ipsi degunt. Probatur autem doctrina nostra manifeste ex cit. can. *Eccle-*

30. 43. cau. 16. q. 1. ubi indistincte præcipitur, ut « Ecclesiæ antiquitus constitutæ, nec decimis, nec ulla possessione priventur, ita ut novis oratoriis tribuantur. » Idem habetur can. immediate sequente, ibi : « Omnino providendum est episcopo, ut Ecclesiæ antiquiores propter novas suam justitiam aut decimam non perdant, sed semper ad antiquiores Ecclesias persolvatur. » Concordat, c. *Nuper*. 34. h. t. ubi etiam religiosi jubentur dare decimas de prædiis et fundis noviter acquisitis, si de iisdem decimæ prius erant solutæ. Ergo etiamsi intra eandem beneficium erigatur, seu jam erecto prædium aliquod decimis prius obnoxium pro dote addatur, nihilominus beneficiatus decimas antiquiori Ecclesiæ dare tenetur de fundis et prædiis, ex quibus prius decimæ reddebantur eidem. Ratio est, tum quia similia prædicia, et quævis « res transit cum onere suo. » c. *Cum non*. 33. h. t.; tum quia Ecclesia prior alias privaretur jure suo, gravemque pateretur jacturam, quod admittendum non est, cum non sit uni consulendum cum alterius jactura, arg. can. *Si quis vero*. 13. cau. 11. q. 3. et can. *Decimæ*. 10. cau. 14. q. 5. ibi : « Si non potest subveniri alteri, nisi alter lædatur, commodius est neutrum adjuvari, quam gravari alterum, » cum concordantis. Neque erigendum est altare contra altare.

51. *De quibus tamen etiam decimæ non dantur antiquæ Ecclesiæ, si dividitur parochia.* — Neque limitatur doctrina in casu, quo una parochia in duas dividitur juxta formam concilii Tridentini, sess. 21. de *Reform.* c. iv. de quo supra, et c. *Ad audientiam*. 3. de *Eccles. edificand.* et c. fin. eod., quia etiam tali in casu decimæ debentur Ecclesiæ antiquæ matri, prout contra communem dicemus infra n. 104. et seqq.

52. *Parochi etiam tenentur dare decimas; et quas?* — Resp. IV. Quamvis parochi nullas teneantur dare decimas de bonis mere ecclesiasticis in propria parochia acquisitis; tenentur tamen ad decimas prædiales ex prædiis, fundis, et agris etiam ecclesiasticis, seu Ecclesiæ dotalibus (Germanis *Wudthumb-Guter*, oder *Wudthum-J-Hoff*) in alterius parochia sitis, si de illis antequam in dotem parochiæ pervenerunt, decimæ alteri parochi fuere solutæ. Imo etiamsi in propria parochia existant. Prima pars est communissima inter doctores arg. c. ii. h. t. et cap. i. de *Censib.* Ratio est eadem, quam supra pro

conclusionem tertia allegavimus. Secunda pars docetur ab Abbate, in c. ii. h. t. n. 6; Covarruvias, lib. *Variar. resolut.* cap. xvii. n. 8; card., consil. 88; Glossa in c. i. de *Censib.* Pirhing, h. t. et communi aliorum per jura et rationes n. 50. allegatas. Tertia pars patet ex dictis n. 47. et 48.

53. *Religiosi de jure communi tenentur ad decimas.* — Quæritur III. Num etiam religiosi teneantur ad decimas? Resp. I. Spectato jure communi præsertim antiquo, religiosi omnes non minus ac laici ad decimas tam personales, quam prædiales obligantur, nisi privilegio ac alio justo titulo sint exempti. Suarez, t. I. de *Relig.* tract. II. lib. I. cap. xvii; Layman, lib. IV. tract. VI. cap. iii; Lessius, lib. II. de *Justit. et Jure.* cap. xxxix. n. 23. cum communi et certis aliorum. Patetque clare ex c. *Ex multiplici*. 3. c. *Commissum*. c. *Dilecti*. 8. c. *Ex parte*. 10. h. t. cum concordantiis, juncto c. ii. § *Cæterum*. eod. in 6. ubi statuitur : « Cæterum religiosi tam exempti, quam non exempti de terris et possessionibus acquisitis hactenus, et amodo acquirendis decimas integre solvant illis ecclesiis, quibus eadem possessiones et terræ prius fuerunt decimales, nisi super hoc speciali jure, vel privilegio sint muniti. Ratio est, quia rationes, ob quas laici tenentur dare decimas, etiam in religiosis militant : præsertim cum spectato jure communi, et abstrahendo a privilegiis, etiam religiosi sint subjecti pastori seu parochi loci, ab eoque sacramenta, ac alia divina percipere debent, et olim percipiebant; uti patet ex can. *Alia*. 6. can. *Ecclesia*. 7. can. *Interdictimus*. 10. et can. *Quæsti*. 46. cau. 16. q. 1. Dicitur autem notanter, « nisi privilegio, vel alio justo titulo sint exempti; » quia hodie omnes religiosi aliquo saltem modo a solvendis decimis sunt exempti per privilegia partim juri communi inserta, partim specialiter concessa; de quibus § sequenti.

54. *Non item pauperes in extrema necessitate.* — Quæritur IV. An etiam pauperes teneantur solvere decimas? Resp. I. Pauperes, qui laborant extrema necessitate, vel ea laboraturi essent. Si decimas darent, eas dare non tenentur. Abbas, in c. *Cum homines*. 7. h. t. n. 5; Pirhing, h. t. n. 46; Layman, lib. IV. tract. VI. cap. iii. n. 6; Rebuffus, de *Decimis*. q. 5, n. 14. cum communi aliorum. Ratio est, quia in necessitate extrema omnia sunt communia; arg. l. II. ff. ad *Leg. Rod.* § *Cum in eadem*. ita ut licite et absque

ullo restitutionis onere alienum accipere, vel retinere valeat; prout habet fere unanimis tam theologorum, quam canonistarum, et diximus in nostra *Theologia morali*.

55. *Bene tamen pauperes in gravi necessitate.* — Resp. II. Pauperes in gravi tantum necessitate existentes, vel illuc ex præstatione decimarum reducendi, a solutione decimarum non sunt immunes. Abbas, in c. *Cum homines*. 7. h. t. n. 5. et ibi Joan. Andreas Engel, h. t. n. 58; Rebuffus, eod. q. 5. n. 14; Syvester, de *Decimis*. n. 13. et communis doctorum cum Glossa, fin. in can. *Quia tua*. cau. 12. q. 1. Ratio est, tum quia decimæ ex debito sunt solvendæ, c. *Parochianos*. 14. h. t. in debito autem non habetur respectus ad inopiam gravem, nisi postquam debitor cessit bonis; uti cum aliis bene advertit Abbas, loc. cit. arg. l. *Continuus*. 137. § 4. ff. de *Verb. Obligat.* et l. i. c. *Qui bonis cedere possunt*; tum quia propter inopiam gravem non est deserenda justitia, can. *Habebat*. 17. cau. 12. qu. 1. Decimæ autem debentur etiam ex justitia, juxta dicta; ergo.

56. *Ita ut nec differre possint solutionem; quamvis solventibus iterum restituere debeant zœmci.* — Observant hic doctores, ut Layman, l. IV. tract. VI. cap. iii. n. 6; Pirhing, h. t. n. 46; Zoesius, eod. n. 19. et alii, quod licet in gravi necessitate sit nemo totaliter immunis a solvendis decimis, tamen solutionem earum differre possit, donec ad pinguiorem fortunam veniat. Rationem dant, quia juxta receptam theologorum sententiam ob gravem necessitatem debitoris solutio etiam ex justitia differri potest, nisi creditor sit in pari necessitate. Verum ne hujusmodi dilationibus jus exigendi decimas nimis reddatur incertum et immunitas passim præendatur, præsertim his temporibus, quibus miselli rustici, sicut et alii gravi necessitate plerumque premuntur, rectius sentire videtur Abbas, loc. cit.; Engel, h. t. n. 58; Klingensperger, de *Decimis*, cap. ii. assert. 14. num. 6. cum Glossa, in can. *Quicumque*. 4. caus. 12. qu. 2. quod etiam in gravi necessitate sine dilatione solvendæ quidem sint decimæ, eas tamen remittere, vel iterum donare debeant clerici, nisi parem necessitatem patiantur, eo quod juxta superius dicta clerici superfluas decimas pauperibus erogare teneantur, ipsæque decimæ sint « Tributa egentium animarum, » cau. *Decima*. 66. cau. 16. q. 1. et can. fin. ead. can. et q.

57. *Communi necessitate laborantes pauperes*

*ad decimas tenentur.* — Resp. III. Communi paupertate laborantes, ac respective tantum pauperes, seu potius non divites, tenuia quidem, tanta tamen media habentes, quæ ad sustentationem suæ personæ ac familiæ sufficiunt, ad solutionem decimarum omnino etiam sine ulla dilatione tenentur. Ita cum divo Thoma, 2. 2. qu. 87, n. 4. ad 4; Pirhing, h. t. n. 45; Layman, loc. cit. n. 5. et communissima tam theologorum, quam canonistarum. Probatur ex juribus pro conclusione præcedenti allegatis. Accedit, quod communis talis necessitas obligationem debiti nec extinguat, nec differat juxta receptam. Nec possit jus aliquod vel ratio pauperes hujusmodi a solutione, vel dilatione decimarum eximens assignari.

58. *In casu quo res elocatur alteri, quisnam teneatur ad decimas, dominus, an conductor.* — Quæritur V. An dominus, vel conductor teneatur ad decimas, casu quo quis prædium, vel alium fundum proprium alteri elocavit? Resp. Cum distinctione : si dominus rem suam conductori ita locavit, ut conductor pro certa pensione pecuniaria omnes rei, prædii v. g. percipiat fructus, tenetur conductor solus integras solvere prædiales decimas; dominus vero ad decimam partem pensionis, quam a conductore accipit : si autem domino aut locatori a conductore, seu colono certa fructuum, media v. g. vel tertia pars ex prædio datur, tenetur quivis proportionaliter ad decimas illorum fructuum, quos percipit : et quidem quilibet sine deductione expensarum, pensionum, vel aliorum onerum. Abbas, in c. *Tua nobis*. 26. h. t. n. 14. et 15; Pirhing, h. t. n. 48. et seqq.; Azorius, Suarez, Innocentius, et communis aliorum, arg. c. *Non est*. 22. et c. *A nobis*. 24. h. t. ibi : « A dantibus, et recipientibus possessiones ad firmam, de fructibus, quos percipiunt, decimæ sunt solvendæ. » Simile quid habetur c. *Tua nobis*. 26. eod. ibi : « De cunctis omnino proventibus decimæ sunt reddendæ, sicut colonus de parte fructuum, quæ sibi remanet ratione culturæ : sic et dominus de portione, quam percipit ratione terræ decimam reddere sine diminutione tenetur. » Concordat, c. *Cum non sit*. 33. eod. et alia jura supra n. 40. citata.